



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA DE THAILANDIA* IN THAILANDIA SACRA
EPISCOPALIS HIERARCHIA CONSTITUITUR. Qui in fastigio sacrae Hierarchiae secreto Dei consilio
constituti sumus ut, tamquam beatissimus Petrus Apostolorum princeps, insomnem pro christiano
grege curam gereremus, nulla hac maiore laetitia perfundimur, quam cum audimus fidem nostram,
«quae est in Christo Iesu» (*Tim. 3, 13*), et fines suos proferre, et in gentibus honorari, et populis
fieri signum atque causam a Deo praeparatae salutis. Quam ob rem, cum in Thailandia res
catholica Episcoporum atque missionariorum labore atque studio magna suscepisset incrementa,
maioraque praevideatur accipere posse, censuit Sacra Congregatio Fidei Propagandae iam
tempus advenisse constituendae ibi loci sacrae Hierarchiae. Qua re, consilio petito a venerabilibus
Fratribus S. R. E. Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationi praepositis, audita sententia cum
venerabilis Fratris Ioannis Gordon, Archiepiscopi titulo Nicopolitani ad Nestum et olim in
Thailandia, Laosiana regione et Paeninsula Malacensi Apostolici Delegati, tum venerabilis Fratris
Angeli Pedroni, Archiepiscopi titulo Novicensis iam eodem munere fungentis, auctoritate Nostra
haec statuimus. In Thailandia sacram *Hierarchiam* condimus, duabus provinciis ecclesiasticis
constitutis, quae erunt: provincia ecclesiastica *Bangkokensis*, quae constabit: metropolitana
Ecclesia Bangkokensi, antea vicariatu apostolico, cuius cathedralē templum dicatum erit
Assumptioni Beatae Mariae Virginis; atque suffraganeis Sedibus: dioecesi Bangnokhuekensi, ante
hoc tempus vicariatu apostolico Rajaburiensi, cuius titulus cathedralis ecclesiae erit Nativitas
Beatae Mariae Virginis; dioecesi Chantaburiensi, iam vicariatu apostolico, cuius titulus cathedralis
ecclesiae erit Conceptio Immaculata Beatae Mariae Virginis; dioecesi Chiengmaiensi, antea
praefectura apostolica, cuius cathedralē templum sacrum erit sacratissimo Cordi Iesu. Altera
provincia ecclesiastica *Tharensis et Nongsengensis* cognominabitur, eademque coalescit his
Sedibus cathedralibus: ipsa metropolitana Ecclesia Tharensi et Nongsengensi, quae fuit antehac
vicariatus apostolicus, cuiusque cathedralē templum Sancto Michaëli Archangelo dicabitur; item
suffraganeis dioecesibus: Ubonensi, adhuc vicariatu apostolico, cuius templum cathedralē sacrum
erit Conceptioni Immaculatae Beatae Mariae Virginis; Nakornrajasiensi, hactenus vicariatu
apostolico, cuius templum erit Apparitioni Beatae Mariae Virginis Lapurdensis consecratum;
Udonthanensi, usque modo praefectura apostolica, cuius cathedralē templum sacrabitur Beatae
Mariae Virgini a Perpetuo Auxilio. Quibus omnibus Ecclesiis ita censuimus esse providendum ut:
in provincia ecclesiastica Bangkokensi, venerabilis Frater Iosephus Khamsum Nittayo, hucusque

Vicarius Apostolicus Bangkokensis, ab Ecclesia titulo Obbensi ad metropolitanam Sedem Bangkokensem transferretur; venerabilis Frater Petrus Carretto, hactenus Vicarius Apostolicus Rajaburiensis, ab Ecclesia titulo Zenobiensi ad cathedralem Sedem Bangnokhuekensem transferretur; venerabilis Frater Franciscus Xaverius Sanguon Souvannasri, hucusque Vicarius Apostolicus Chantaburiensis, ab Ecclesia titulo Oenoandensi ad cathedralem Sedem Chantaburiensem transferretur; venerabilis Frater Lucianus Lacoste, Episcopus Talianus atque Administrator Apostolicus praefecture Chiengmaiensis, Administrator Apostolicus dioecesis Chiengmaiensis crearetur; in provincia vero ecclesiastica Tharensi et Nongsengensi, venerabilis Frater Michaël Kien Samophithak, hactenus Vicarius Apostolicus Tharensis et Nongsengensis ab Ecclesia titulo Octabensi ad Sedem cathedralem metropolitanam Tharensen et Nongsengensem transferretur; venerabilis Frater Claudius Bayet, hactenus Vicarius Apostolicus Ubonensis, ab Ecclesia titulo Cidyessensi ad Sedem cathedralem Ubonensem transferretur; venerabilis Frater Alanus van Gaver, adhuc Vicarius Apostolicus Nakornrajasimensis, ab Ecclesia titulo Caprensi ad Sedem cathedralem Kakornrjasimensem; venerabilis Frater Clarentius Iacobus Duhart, Sodalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris, et hactenus Praefectus Apostolicus Udonthanensis, ipsius huius Sedis cathedralis Episcopus fieret. Censemus praeterea ut hae omnes Ecclesiae, quas recensuimus, pergent obnoxiae esse Sacrae Congregationi Christianae Fidei Propagandae, ut hactenus. Quod autem ad regimen, administrationem, Canonicorum collegium, hisque similia pertinet, norma e atque praescripta Iuris Canonici adamussim serventur. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae, eius cura qui ad praesens unicuique Sedium praeest, in cleri populique notitiam perforantur; a venerabili vero Fratre Angelo Pedroni, quem memoravimus, ad exitum perducantur; qui sane poterit, si visum fuerit, et alium delegare, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Re vero acta, documenta exarentur, sincerisque exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimmo mensis Decembris, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

| | |
|-------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i></p> | <p>GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i></p> |
|-------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------|

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Proton. Apost. Decanus

Ioannes Calleri, Proton.

Apost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 8, pp. 554-556 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana